

**INDEX
LECTIONUM**

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCXLIV

A DIE XV M. APRILIS

PUBLICAE PRIVATIQUE HABENDARUM.

PRAEMISSA EST

**DISPUTATIO DE PROFESSORIS ACADEMICI PARTIBUS IN
CIVITATE ADMINISTRANDA.**

—♦—

LITERIS ADLERIANIS

LECTIUM INDEX

ACADEMIA ROSTOCKENSIS

SENIORI ANSTO A. MDCCCXIV

A DIE XX. APRILIS

LIBRIS PRIVATIS HANNOVERAE

PRIMUM EST

DIRECTIO DE PROFERENDIS ACADEMICIS LECTIBUS IN
LIBRIS ADMINISTRANDIS

LIBRIS ADMINISTRANDIS

Eichhornius, cujus auspiciis in Borussia quum ecclesiae scholae-
que tum etiam Academiae administrantur, in oratione Bonnae nuper
habita dicitur Professores ad rem publicam capessendam adhortatus
esse. Quam viri gravissimi sententiam quum alii aliter interpretati
sint, operae pretium videtur de hac re paullo diligentius exponere.
Ac primum Professores nego id monitos esse, ne ullam civitati face-
rent injuriam. Nemo enim melior civis esse potest Professore, in
quem plane cadit illud Flacci: *avarus non temere est animus;*
litteras amat, hoc studet unum; detrimenta — incendia ridet;
non fraudem puero — incogitat ullam pupillo; vivit siliquis et
pane secundo. Omninoque vitia tantopere odit, non ut umbram sed
perfectionem quaerat virtutis, quem omnium literarum fructum esse
intelligit uberrimum. Nam ego quod Professores dico, bonos dico
Professores; de malis autem, si qui usquam sunt, eorumque amicis
non magis profecto, quam de Turcis eorumque sociis hic disputo.
Deinde Professori ne licet quidem alias res agere aut civitatis statum
ullo modo turbare. Praecipue enim literis deditus est, quarum campus
latissime patet, amor cum aetate augetur, fines quotidie proferuntur.
Quodsi unusquisque civis suum locum rite expleverit, suo officio
plene satisfecerit, optime agetur cum civitate universa. Denique
boni civis est, animo esse tranquillo, propterea quod vitiosa permutio
singulorum manare longius solet facileque bono publico officere potest.
Atqui Academiae Professor, si quis alius, constantiae et tranquillitati
studet, sine qua ne literis quidem operam navare licet, neque quid
in quaque re veri sit, satis clare dispicere. Non magis vero Eich-
hornius Professores hortatus est, ut et scholarum explicatione
commilitonibus suis vere prodessent, et librorum editione aliis civibus
sapienter prospicerent. Nam utrumque semper factum est, ex quo
Academias primum conditas esse accepimus, neque nostra aetate
intermissum, ut nihil attineret incitare currentes. Quid quaeris?
Civitatem et ipsi, quantum in nobis esset, revera administrare jussi
sumus. Sunt enim etiamnunc semperque fuerunt doctissimi viri, qui
soli literarum studio vitam totam consecrarent, reliqua omnia nihil
ad se pertinere dicerent. At quum literae ipsius vitae causa, non
vita literarum generi humano impertitae sint: apparet Professore
quoque hominum vitae atque saluti non minus consulere debere,

quam inservire vel suae gloriae vel honori literarum. Veruntamen doctores isti umbratici, tantum abest, ut intelligant civitatis dignitate suam ipsorum contineri salutem, ut in civilibus rebus, neutrarum se partium esse profiteantur: quod quum omni tempore improbandum sit, tum nostra aetate minime concedi potest. Populus enim, ut est et curiosus et civitatis regendae ignarus, Professori, cui scilicet nihil liceat honeste nescire, civilem quoque scientiam tribuere non dubitat. Quodsi ad interrogata non responsum fuerit, odiosum istuc mireque suspectum silentium in pessimam partem interpretari solet. Quare is Professor, qui nihil rem publicam curat planeque se medium gerit, civium animos concitare, Principum auctoritatem minuere, publice nocere videtur. Quantum vero etiam in hoc rerum genere, quod non semper sub sensus cadit, Professor valeat, ii intelligent, qui ab oculorum consuetudine mentem abduxerint. Ac primum hic vir consilio et prudentia instructus est, qua si in tantis rebus careas, multum noceas iis ipsis, quibus volueris prodesse. Deinde et subtile iudicium et ingenium acutum res ipsa desiderat. Quum enim civitatum habitus sibi non constet, sed sensim immutetur, ne nos quidem semper unum idemque obstinate defendere, sed eam eligere partem debemus, ad quam nos ipsius civitatis ratio salusque converterit. Itaque nihil videtur effecturus esse, nisi cujus mens Vertumni instar varias assumere formas potuerit. Jam auctoritate tanta est Professor, quanta eum florere necesse est, qui recte in viris habeatur doctissimis. Quare licet ei nunc populum nunc ipsos civitatis primores, dummodo modeste, reprehendere; licet eosdem laudare, modo vere et ex animi sententia. Ab omnibus enim gratiam init ipsa veritatis professione; scit, quando tacere melius fuerit, quisve locus sit orationi; argumentis denique pugnat, non fustibus. Tum vir honestissimus ita statuit, sine virtute neque aliam ullam laudem parari, neque civitatis gubernandae consilia recte iniri posse. Ita quum ipso virtutis studio a vitiis deterreatur, sequitur eum neque adulatorem Principis, neque effrenatae licentiae amicum, neque legum contemptorem, neque verae libertatis proditorem futurum esse. Nam quis non Q. Curtii iudicium probet, qui Alexandrum Macedonem reprehendens: non deerat, inquit, divinos honores concupiscenti perniciose adulatio, perpetuum malum regum, quorum opes saepius assentatio, quam hostis evertit. Cives autem suos Professor ita liberrimos existimabit, ut pravis cupiditatibus ipsi minime serviant, eisque suadebit, ut excusso tam saevi tyranni iugo animos libidinum servos quam primum in libertatem vindicent. Multa tamen in hoc genere sciens praetereo. Praeterquam enim quod difficile est in tanta et rerum varietate et temporum nostrorum inconstantia certas leges scribere: nihil quidquam nunc quidem dicere statui, quod cum

levissima reprehensione conjunctum sit, nedum graviter alios vituperare, ne quam Professoribus modo tribui prudentiam, ea ipse videar caruisse. Verum enimvero quatenam partes in rei publicae cura Professori demandandae sint, paucis ostendam. Etenim hic vir quum domi forisque tranquillitati amicus est, quae literarum studia egregie adjuvantur, tum maxime in civilibus rebus natura sua moderatus esse solet, quippe qui tam a Principis imperio quam a iudicio populi suspensus sit. Quamobrem illud vel maxime Professoris est, operam dare, ut Principis ac populi concordia augeatur. Quae praeclarum munus Professoris, si quidem eam offensionem opprimere poterit, cuius mala ab auctoribus suis plerumque ad ipsam patriam populumque redundant! O beatam Germaniam nostram, si populi ejus cum regibus suis mutua concordia, mutuo obsequio, mutuis in communem patriam beneficiis certaverint! O fortunatos Germaniae Principes, si firmissimo muro saepti populorum suorum fide, constantia, amore defendentur! Nihil profecto exoptatius fieri potest summis viris pariter atque infimis; nihil toti Germaniae, carissimae nobis patriae salutaris; nihil omnium votis magis expetendum, hoc praesertim animorum habitu tam in media pace turbulento. Quo magis Professori cogitandum est, suas in administranda civitate etiam alteras esse partes, similes illas quidem prioribus, in ipsa tamen similitudine diversas. Debet enim, si ullo modo fieri posse videatur, flectere quodammodo saeculi voluntatem, eamque consilio ita regere, ut ne coeco feratur impetu. Res, quam dicimus, gravissima est et a nobis alio loco satis explicata. Quum enim seni venerando nobisque omnibus caro J. G. Josephio Professoris munus per L. annos feliciter gestum publice gratularemur: in Praefatione p. V haec scripsimus. „Ne quis forte ita dicat, in civitate gubernanda Professoris partes exiguas et propemodum nullas esse, qui nihil ipse agat, sed quiescat penitus, non imperet sed pareat, non sedare turbas possit, sed silentium obtinere debeat: quantum ille valeat ad rem publicam bene administrandam, paucis demonstrabo. Etenim sua cuique aetati voluntas est, sui saeculo mores, quos alio tempore alios effingunt res toto orbe terrarum gestae, religionum et sacrorum conditio, populorum institutio animorumque cultus, publica sive felicitas sive miseria. Qui hominum mores quum nunquam perfecti sint, sed modo boni, modo sat mali, nonnunquam pessimo pejores, omnium vero magni intersit, eos esse quam maxime emendatos: eruditorum auxilio opus esse apparet, qui imperitos severe moneant, virtutes saeculi laudent, vitia ostendant atque castigent. Ac vulgus quidem tantum abest, ut haec omnia, cujusmodi sint, intelligere possit, ut de his tantis rebus tamque immensis, quae mente non oculis cernuntur, nihil ne suspicetur quidem, neque omnino sentiat, esse certam quandam sui temporis

voluntatem. Stamus enim omnes in quodam quasi orbe aetatis nostrae, qui orbis quo se converterit, eo totum vulgus inclinat et propendit, nec quidquam magis cavent etiam prudentes, quam ne retro illum orbem inhibere visi, laeso a se communi temporis iudicio in aliorum offensionem incurrant et per ora hominum traducantur. Quo pauciores autem tanta animi altitudine praediti sunt, ut vitiis notandis plurimorum invidiam gratis concitent, eo minus huic objurgationi ii, a quibus maxime exspectatur, clam se debent subducere. Hi vero prae caeteris sunt Professores, quibus neque ad monendi auctoritatem deest gravitas, neque ad iudicandi solertiam prudentia, neque ad persuadendi facultatem fides. Ita quum hi viri omni tempore non ut vulgus indoctum temere sequi pravos saeculi mores, sed ipsi regere eos debeant, tum haud scio, an consilio tam salutari unquam amplior campus quam aetate nostra apertus sit. In eodem argumento partim versantur literae, quas ad Erlangenses collegas Academiae suae saecularia agentes admodum nuper dedimus. Itaque harum quoque literarum exemplum infra posui.

„Prorectori Magnifico et Amplissimo Senatui
Illustrissimae Academiae Fridericianae et Alexandrinae
S. P. D.

Rector et Senatus Academiae Rostochiensis.

Peropportune sacra Academiae Vestrae saecularia prima, quae hoc ipso mense celebrabuntur, in id tempus inciderunt, quo Germania, communis omnium nostrum patria, cui Deus faveat, ex diuturna pace laetiores indies uberioresque fructus percipere coepit. Nam quod omnibus votis diu frustra expetitur, ut singuli gentis Germanicae populi quam arctissimis vinculis conjuncti plane coalescerent, quo et inter semetipsos feliciores, et ab externo periculo tutiores essent, id summa erga nos Dei O. M. benignitate prope jam effectum videmus. Quam quidem Germanorum consensionem tanto firmiorem futuram esse speramus, quo magis Excelsi Principes nostri mutuae benevolentiae caritate et inter se et cum populis suis consociati atque pulcherrimo certamine accensi id ipsum agunt planeque contendunt, ut foederata Germania omni felicitatis genere augeri cumularique possit. Quodsi ab omnibus, quaque patet orbis terrarum, divinae humanaeque sapientiae studiis atque omnium literarum laude Germani merito celebrantur: quis non videt, Principes Germaniae concelebrari, qui Germanicis tot saeculorum triumphis, id est literarum nostrarum gloriae ad extremam usque barbariem propagatae suum constare honorem voluerint? Certissimum est autem, primarias omnium fere literarum sedes esse Academiae, a quibus tanquam a solis radiis caeteri quoque homines literati atque adeo universus populus commune lumen accipiant. Quanta in

hoc genere Vestrae Academiae per hos centum annos merita sint, tanta scilicet, quae nulla unquam delere oblivio possit, nemo nescit, nos etiam legatione gratulandi causa ad Vos missa nunc palam testamur. Floruistis enim non modo juventute multarum doctrinarum et virtutum choro stipata, verum etiam Professoribus et docendo et scribendo domi forisque maxime nobilitatis, atque exemplo Vestro docuistis, studia humanitatis secundis rebus ornamento, adversis autem ac prope afflictis solatio esse. Quamobrem fortiter pergite, Illustrissimi Gravissimique Viri, sicuti facietis: lucem clarissimam porro accendite, non quae doctiorum quoque oculos nimio fulgore praestringat, sed quae in tenebris lucens plurimorum animos saluberrime illustret; graecis latinisque literis porro favete, quarum salute ipsarum Academicarum salutem contineri videtis; bono hujus saeculi genio literarum Vestrarum studia accommodare pergite, perversae autem nostrorum temporum voluntati forti intrepidoque animo, quo semper fuistis, resistite. Hac enim aetate, vetustatis emendatrice atque tot artium inventrice tot denique machinarum, magnis animorum motibus rem geri quis est, qui non intelligat? Nimium multi profecto diversis inter se planeque contrariis studiis abrepti mirum in modum nunc dissidere solent. Alii novarum rerum studio in omne genus literarum pestem machinantur; alii veteris barbariae desiderio in hac tanta luce genus humanum denuo infatuari cupiunt. Rursus magna pars, quum elegantes se, quam doctos videri malint, nihil scire curant, omnia leviter attingunt, Genium saeculi adorant; alii totos se literis abdunt, his se solis beatos putant, maximarum rerum conversionem ante oculos positam ne sentire quidem videntur. In hoc fere uno haud pauci peramice conveniunt, quod pleraque atque adeo literas ipsas non tam honesto, quam utili metiuntur. Sed quaecunque homines agunt, quae cogitant denique, virtuti omnia paranda sunt. Hoc animo summos illos honestissimosque viros fuisse meminimus, qui Academiam Vestram vel primum conditam nascente velut laude honestarunt, vel deinceps e trepidis saepe rebus in pristinam dignitatem restituerunt. Hac eadem mente Vos esse, qui cum maxime hanc Academiam ornatis nominis Vestri splendore et amplificatis, quum consentiens vox omnium, tum Vestra eximia virtus declarant. Itaque Vestro favore nihil nobis potest gratius accidere. Valete rebusque nostris favete. Dabamus in Academia Rostochiensi Nonis Sextilibus a. MDCCCXLIII.“

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O.,** privatim 1) historiam dogmatum h. VIII—IX senis diebus; 2) historiae ecclesiasticae partem secundam h. IX—X quinis diebus enarrabit. Publice theologiam pastorem, legum ecclesiasticarum Mecklenburgicarum ratione habita, h. IV—V dd. Mercurii et Saturni tradet, et in Seminarii sodalitia catecheticae sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.
- D. Jo. Phil. Bauermeister, P. P. O.,** 1) quinis dd. h. X—XI scripta Joannea interpretabitur; 2) dd. Lun. Mart. Merc. Jov. Ven. h. XI—XII, d. Saturn. h. X—XII isagogen historicam et criticam in libros cum canonicos tum apocryphos Vet. Test. atque in scripta Novi tradet.
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O.,** Ordinis Theologorum h. t. Decanus, 1) publice dd. Lunae et Martis h. II, dd. Veneris et Saturni h. VIII encyclopaediam et methodologiam theologicam exponet; 2) privatim quaternis dd. h. VIII archaeologiam ecclesiasticam tradet; 3) privatim senis dd. h. IX theologiam moralem docebit. Praeterea in Seminarii sodalitia homileticae sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderabitur.
- D. J. Chr. C. Hofmann, P. P. O.,** 1) privatim senis dd. h. VII psalmos selectos interpretabitur; 2) privatim senis dd. h. X. epistolam ad Hebraeos explicabit; 3) publice quaternis dd. h. III res vetere testamento traditas edisseret.
- Lic. J. Wiggers, P. P. E., I.,** publice 1) historiam missionis evangelicae enarrabit hh. postea definiendis; 2) historiam passionis Domini nostri secundum Evangelistas quos dicunt synopticos, collato evangelio Joh., interpretabitur dd. Lun. et Jov. h. IV; II. privatim 1) epistolas tum ad Hebraeos, tum ad Ephesios, ad Philippenses et ad Thessalonicenses datas interpretabitur sexies p. h. h. X; 2) symbolicam tradet quater p. h. h. XI.

In ordine juridico.

- D. Conradus Theodorus Gründler, P. P. O.,** tradet 1) encyclopaediam juris, duce Falk, senis diebus, hor. X; 2) jus ecclesiasticum, duce Wiese, ed. Kraut, sen. dieb. hor. III.

- D. Augustus Ludov. Diemer, P. P. O., Ord. JCtor. h. t. Decanus,** docebit 1) jus feudorum, commune et Megapolitanum, duce compendio Paezii, ed. noviss. quater per hebd. hor. IX; 2) jus privatum et publicum utriusque Megapoleos, ex schedis suis, quater per hebd. hor. X; 3) artem notarialem, junctis speciminibus ex communicandâ actorum judicialium copiâ conficiendis, quater per hebd. dieb. Mercur. et Saturn. hor. IX et X; 4) Pandectas examinando cum commilitonibus repetet, systema Heisii secuturus, horis deinde constituendis.
- D. Fridericus Raspe, P. P. O.,** docebit principia processus judiciarii civilis, duce Linde, sexies per hebd. hor. XI et XII.
- D. Agathon Wunderlich, P. P. O.,** tradet 1) institutiones et historiam juris Romani, sexies per hebd. hor. XI; 2) doctrinam de hereditatibus, quater hor. X.
- D. Henricus Thöl, P. P. O.,** docebit jus Germanicum privatum, sexies per hebd. hor. VII et bis hor. IX.
- D. Carolus Adolphus Schmidt, S. M. D. Suerinensi a consiliis Cancellariae** habebit collegium, quod processuale practicum vocant, horis suo loco indicandis.
- D. Theophilus Henricus Fridericus Gaedcke** collegium civile practicum instituet, quater per hebd. Nec deerit examinatória et repetitoria cupientibus, quum de universo jure, tum de singulis ejus partibus.
- D. Iwan de Gloeden** docebit Pandectas, decies octies per hebd. hor. VIII—X et hor. XII.
- D. Hermannus Buchka** docebit 1) jus criminale, sexies per hebd. et 2) institutiones juris civilis, octies per hebd. horis postea indicandis.

In ordine medico.

- D. Jo. Guilielmus Josephi, P. P. O., Academiae Senior, h. t. Decanus,** tradet, si per aetatem et valetudinem licuerit, Gynaecologiae capita selecta, hor. XI—XII.
- D. Henricus Spitta, P. P. O.,** tradet quaternis hebdom. diebus 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem; 3) clinicen propaedeuticam binis hebdom. diebus.
- D. Carolus Strempel, P. P. O.,** docebit 1) pharmacologiam generalem bis p. h. hor. VIII; 2) chirurgiae partem alteram quater p. h. hor. VIII; 3) artem operationum chirurgicarum in cadaveribus illustrandam et 4) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico h. IX—XI moderabitur.

- D. Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O., h. VIII — IX** in demonstrationibus anatomicis osteologiam, syndesmologiam et myologiam quater per hebdomadam docebit; 2) h. XI — XII oculorum morbos quinquies per hebdomadam tradet; 3) cursum operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum cupientibus offert.
- D. Fridericus Hermannus Stannius, P. P. O., docebit:** 1) anatomiam comparatam sexies per hebdomadam; 2) historiam evolutionis hominis bis per hebdomadam; 3) exercitationes physiologicas s. d. practicas moderabitur 8 p. hebdomadae horis.
-
- D. Christianus Krauel, P. P. E., quater per hebdomadam 1) artem obstetriciam docebit et 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio h. X — XI moderabitur.**
-
- D. Jo. Frid. Guil. Lesenbergh** has lectiones offert 1) chirurgiam, 2) artem obstetriciam, 3) examinatoria et repetitoria quarumvis artis medicae partium.
- D. Carolus Hanmann** 1) chirurgiam duce Cheliusio, 2) ophthalmiatriciam duce Beckio, 3) praxin medicam duce Hufelandio docebit, et 4) privatissime repetitoria offert.
- D. Joannes Schroeder** tradet 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.
- D. Ludovicus Dragendorff** 1) docebit artem obstetriciam; 2) in operationibus obstetriciis exercendis auditores instituet, 3) examinatoria et repetitoria cupientibus offert.
-

In ordine philosophico.

- D. Ern. Aug. Phil. Mahn, P. P. O., publice** 1) Psalmos selectos, maxime Messianos, interpretabitur quaternis diebus h. XI; 2) elementa linguae Arabicae docebit ternis diebus h. II; 3) Exercitationes Ebraicas moderabitur ternis diebus h. III.
- D. Franciscus Volemarus Fritzsche, P. P. O., publice** 1) quaternis diebus h. XI. Euripidis Hippolytum interpretabitur; 2) quaternis item diebus h. XI et XII de variis generibus graecae poëseos exponet. Denique exercitationes seminarii philologici moderari perget, in quo Theocriti Idyllia et Odae Horatii explicabuntur.
- D. Joannes Roeper, P. P. O., h. t. Rector,** 1) publice docebit analysin plantarum anatomicam die Saturni h. X — XII; 2) priva-

tim botanice generalem exponet demonstrationibus illustrandam quinque diebus h. VII; 3) Itinera botanica instituet die Saturni h. pomeridianis.

- D. Eduardus Daniëlis Henricus Becker, P. P. O., h. t. Decanus,** publice 1) binis diebus aedificia villarum rite instituendi rationem tradet h. XII; privatim 2) culturam plantarum agrestium docebit quaternis diebus h. IX; 3) agros metiendi, partiendi formasque delineandi doctrinam, adjunctis exercitationibus practicis tradet sexies p. h. h. III.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O.,** 1) privatim quater per hebdomadam hor. X Horatii carmina explicabit; 2) privatim quater per hebdomadam hor. III Topographiam veteris Graeciae, duce Pausania, docebit; 3) privatissime horis constituendis Mythologiam Graecorum artis operibus illustrandam tractabit.
- D. Helmuth de Blücher, P. P. O.,** privatim docebit 1) Physicam experimentalem una cum collega conjunctissimo Karsten octies p. h. h. X et XI; 2) Chemiam practicam ternis diebus h. II—IV.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O.,** docebit publice: trigonometriam bis p. h.; privatim calculum differentialem et integralem quater p. h.; physicam experimentalem una cum collega amicissimo de Blücher, octies p. h. Privatissima offert collegia de quavis matheos vel physices parte, neque deerit iis, qui in rebus nauticis institui velint. Disputationes denique de rebus physicis una cum collegis Roeper et de Blücher moderabitur.
- D. Carolus Türk, P. P. O.,** publice 1) Conversatorium historicum habebit de Germania, Gallia, Italia, Anglia et Hispania bis p. h. h. II; 2) selecta veteris aevi historiae capita explicabit bis p. h. h. II. Privatim 3) encyclopaediam literarum politicarum docebit, ter per h. h. VII; 4) historiam populi Germanici, res publicas et leges imprimis illustraturus, quinquies p. h. h. VIII.
- D. Christianus Wilbrandt, P. P. O.,** 1) privatim historiam literarum Germanicarum enarrabit quinque diebus h. IX; 2) publice de Shakspearii tragoediis et comoediis disseret diebus Lunae, Martis et Jovis h. III; 3) privatissime sed gratis poemata quaedam medii aevi germanica ex libro a Guiljelmo Wackernagel edito „Altdeutsches Lesebuch“ seligenda cum auditoribus leget diebus Lunae et Jovis h. IV; 4) exercitationes Seminarii philologico-aesthetici moderari perget horis constituendis.

- D. Fridericus Francke, P. P. E.,** 1) privatim Logicam docebit quinque p. h. dd. h. mat. VII; 2) privatim historiam philoso-

phiae enarrabit quinis dd. h. VIII; 3) lineamenta ethices designabit quaternis p. h. dd. h. IX.

- D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E.,** privatim 1) Taciti *Agricolam* interpretabitur binis diebus h. III; 2) de syntaxi linguae Graecae disseret quaternis diebus h. III; 3) Aeschyli *Prometheum* explicabit quaternis diebus h. IV. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.
- D. Eduardus Schmidt, P. P. E.,** 1) publice initia philosophiae moralis eandemque introductionem in theologiam moralem bis p. h. h. III; 2) privatim philosophiam historiae quater p. h. h. IV; 3) privatim psychologiam docebit quater p. h. h. V.
- D. Carolus Hegel, P. P. E.,** 1) historiam rerum inde ab a. 1812 usque ad a. 1815 gestarum bis p. h. h. IV publice; 2) historiam recentioris aevi usque ad a. 1789 quater p. h. h. VIII privatim tractabit.

- D. Carolus Weinholtz** privatim 1) *Anthropologiam* psychicam quaternis p. h. horis; 2) introductionem in philosophiam binis p. h. diebus docebit.

* * *

Bibliotheca patebit quaternis diebus h. XII — I, festo die et solis excepto temporeque ad recensionem librorum necessario, tum quovis Mercurii et Saturni die extra ferias h. XI — I, feriis ipsis tantummodo h. XII — I; **Museum** vero die Lunae h. II — IV Commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferatur §. 1 legum de usu Bibliothecae nostrae recens scriptarum. Gallicam, Anglicam, aliasque linguas exoticas discendi occasio non deficit. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem equitandi, pingendi, musicam et artem gymnasticam doceant.

Domicilia commoda quaerentibus monstrabit **J. H. Schulze**, Academiae nuncius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur
J. Roeper, Ph. et Med. D.

Praesidet ordini Theologorum **Otto Carsten Krabbe**, Ph. et Th. D.
Juris consultorum **Augustus Ludovicus Diemer**, Ph. et J. U. D.
Medicorum **Jo. Guilielmus Josephi**, M. D.
Philosophorum **E. D. H. Becker**, Ph. D.